



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De his qui frustrà laborant. cap. xcviij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

De iis, qui ex locis in loca libenter migrant.

CAP. XCV.

XEVNTI & introëunti non erit pax à tribulatione. *Zach. 8.*
 Vita nequam hospitandi de domo in domum: & vbi hospitabitur, non *Eccli. 29.*
 fiducialiter aget, nec aperiet os.

De mercenariis, & iis qui mercenarios fraudant.

CAP. XCVI.

NON morabitur opus mercenarij tui vsque manè. *Leuit. 19.*
 Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue ad- *Deut. 24.*
 uenæ, qui tecum moratur in terra: sed eadem die reddes ei pretium la-
 boris sui ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animã
 suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatũ.

Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: a- *Hier. 22.*
 micum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei.

Non lædas seruum in veritate operantem, nec mercenarium dantem animam *Eccli. 7.*
 suam.

Ei, qui operatur, merces reputatur, non secundum gratiam, sed secundum de- *Rom. 4.*
 bitum.

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à *1ac. 5.*
 vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.

De his qui frustra laborant.

CAP. XCVII.

VANVM laborauit, congregas diuitias, ex quibus non gustabit. *Iob.*
 Veruntamen vanè conturbatur omnis homo viuens. *Psal. 38.*

Qui seminat iniquitatem, metet mala: vanitatem operum suorum *Pro. 22.*
 consummabit. Qui persequuntur mala, mente carent: omnes vani,
 qui faciunt quæ sibi grata sunt, nihil inde vtilitatis percipient.

In vacuum laboraui: sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. *Esai. 49.*
 Confidunt in nihili, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepere- *59.*
 runt iniquitatem. Telas araneæ texuerunt.

Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Vnus ædificans, & vnus *Eccli. 22.*
 destruens: quid prodest illis nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens: cuius *34.*
 vocem exaudiet Deus?

Cribo aquam ferentes, & in pertusum dolium aquam infundentes. *Basil.*

De iuuenili ætate.

CAP. XCVIII.

QVO corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermo- *Psal. 118.*
 nes tuos.

Iuuenis cum piis viris: & recta via eius. *Prou.*

Melior est puer pauper & sapiens, quàm rex senex, & insapiens. *Eccli. 4.*
 Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentu- *11,*
 tis tuæ, & ambula in viis cordis tui immaculatus.

Adolescens loquere, si quid tibi opus est: vix autem, si interrogeris. *Eccli. 32.*

Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasio- *1. Tim. 5.*
 nem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam conuersæ sunt retro Sa-
 tanam.